



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

LIX. Quòd omnis spes & fiducia in solo Deo est figenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

## C A P U T LIX.

Quod omnis spes & fiducia in solo  
Deo est figenda.

I. **D**omine quæ est fiducia mea,  
quam in hac vita habeo?  
aut quod majus solatium meum,  
ex omnibus apparentibus sub cœlo?

Nonne tu, Domine Deus meus,  
cujus misericordia non est numerus?

Ubi mihi bene fuit, sine te? Aut  
quando malè esse potuit, præsente  
te?

Malo pauper esse propter te, quam  
dives sine te.

Eligo potius tecum in terra pere-  
grinari, quam sine te cœlum posside-  
re. Ubi tu, ibi cœlum: atque ibi mors  
& infernus, ubi tu non es.

Tu mihi in desiderio es: & ideo  
post te gemere, clamare, & exorare  
necessæ est.

In nullo denique possum plenè  
confidere, qui in necessitatibus  
auxi-

auxilietur opportuniūs nīsi in solo  
Deo meo.

Tu es spes mea , tu fiducia mea, tu  
consolator meus , & fidelissimus in  
omnibus.

2. Omnes, quæ sua sunt, quærunt:  
tu salutem meam , & profectum  
meum solummodo prætendis , &  
omnia in bonum mihi convertis.

Etiam si variis temptationibus &  
adversitatibus exponas, hoc totum  
ad utilitatem meam ordinas , qui  
mille modis dilectos tuos probare  
confuevisti.

In qua probatione non minùs di-  
ligi debes & laudari, quàm si cœlesti-  
bus consolationibus me repleres.

3. In te ergo , Domine Deus , po-  
no totam spem meam & refugium:  
in te omnem tribulationem & an-  
gustiā meam constituo ; quia to-  
tum infirmum & instabile invenio,  
quidquid extra te conspicio.

Non enim procedunt multi ami-  
ci , neque fortes auxiliarii adjuva-  
re poterunt , nec prudentes confi-  
liarii

liarii responsum utile dare, neque  
libri doctorum consolari, nec aliqua  
pretiosa substantia liberare, nec lo-  
cus aliquis secretus & amoenus con-  
tutari: si tu ipse non assistas, juves,  
confortes, consoleris, instruas & cu-  
stodias.

4. Omnia namque, quæ ad pacem  
videntur esse, & felicitatem haben-  
dam, te absente nihil sunt, nihilque  
felicitatis in veritate conferunt.

Finis ergo omnium bonorum, &  
alitudo vitæ, & profunditas eloqui-  
orum tu es: & in te super omnia spe-  
rare fortissimum solatium servo-  
rum tuorum.

Ad te sunt oculi mei, in te confido,  
Deus meus, misericordiarum Pater.

Benedic & sanctifica animam me-  
am benedictione cœlesti, ut fiat habi-  
tatio sancta tua, & sedes æternæ glo-  
riæ, nihilque in templo tuæ digni-  
tatis inveniatur, quod oculos tuos  
majestatis offendat.

Secundum magnitudinem boni-  
tatis tuæ, & multitudinem misera-  
tio-

solo  
a, tu  
is in  
unt:  
cum  
, &  
s.  
s &  
um  
qui  
pare  
di-  
sti.  
po-  
m:  
in-  
to-  
o,  
ni-  
a-  
fi-  
ii

*De Imitatione Christi  
tionum tuarum, respice in me, &  
exaudi orationem pauperis servi  
tui, longè exulantis in regione um-  
bræ mortis.*

*Protege & conserva animam ser-  
vuli tui inter tot discrimina vitæ  
corruptibilis; ac comitante gratiâ  
tuâ, dirige per viam pacis, ad Pa-  
triam perpetuæ claritatis. Amen.*



DE  
**IMITATIONE  
CHRISTI  
LIBER QUARTUS.**

*De Sacramento.*

*Devota Exhortatio ad sacram  
Communionem.*

**VOX CHRISTI.**

**V**ENITE ad me omnes, qui la-  
boratis & onerati estis, & ego  
reficiam vos, dicit Dominus.

Panis,